


H O K



1 5 9 7

Theol. 16
B 38

A

Maxima Felicitas
Propitia Trinitas
Pionum hereditas -

24

147

J. S. J. Dievelbein
ex Bibliotheca Dni Pastoris Johannis
Nathanael. Skodeisky.
me possidet.

R₄₉
J.C. Notte

ORATIO

DE INSTITV

TA ILLVSTRISSIMI
DOMINI, D. IOANNIS DE
Zamoyscio, R. P. Magni Cancellarii etc.
exercituum Generalis etc. etc. benignissima
liberalitate Academia Zamosciana: Cum
vindicata simul Illustrissima Celsitudinis
illius, iniquissimis Calumniis oppugnata in-
nocentia & violata integritate, de tran-
situ Tartarorum, seu Scytharum
per Pocuciam.

ELABORATA

STVDIO ET DILIGENTIA

Ioannis Rivii, Inspectoris Scho-
lae Rigensis:

ET EDITA

RIGÆ, METROPOLI LIVO-
nia, Mense Januario. Anno saluti-
feri partus M. D. XCV.

Typis Nicolai Mollini.



ORATIO



Vanquam, si dierum & temporis ratio
 sola pueretur, vel serum nimis, vel superua
 caneum forte videri queat: attributum imitatione
 industriae aliorum, officium nostrum, ad gratulandis
 piis Musis quietas sedes, Celebris in Sarmatia domi-
 ciliū apud Urbē Zamosciā: Tamen cum præclarissi-
 mis facti, laudatissima fama, postquam longe lateq;
 divulgata fueret: ad nos tandem longo sane loco-
 rum & temporum intervallo se junctos, permanē-
 rit: sera gratulatio reprehendi nequaquam debet.
 Si enim, quæ omnibus bonis, tum doctis & sapien-
 tibus viris recte meritoq; probantur: mihi quoq;
 digna admiratione & speciosa videri demonstrarē:
 quocunq; id sanè tempore fieret: nullius mihi, co-
 gnita mora causa, pertimescendam inhumanissi-
 mam condemnationem arbitrabar: præsertim cum
 recta, bona & laudabilia, Græci, veteres & trito
 jam pridem sermone proverbio, iterum & sæpius
 repeteri jubeant. Neq; vero summorum Amplitu-
 do hominum, quorum egregia commendationes in
 lucem extulerunt, laudem facti cum omni posteri-
 tate adequandam, me detertere debet (quanquam,
 ne quid dissimulem, deterret illa quidem) quo mi-

nus ipse aliquid scribam: Cum in medio palma sit po-
sita omnibus, qui artem tractant Musicam.

Inter eos verò, qui excellenti ingenio, virtu-
te & sapientia, tum in copia & varietate literarum
infinita, admirabili doctrina præditi: *Academia*
Zamoscianâ exteris quidē inprimis notâ reddide-
runt: *Vir Dignitate & autoritate Celeberrimus:*
& Juris consultorum eloquentissimus: Eloquenti-
um autem juris peritissimus: D. David Hilchen,
quem ut summum nostrum honoris causa nomino,
Inclyta Republicæ Rigensis Syndicus, erudita pub-
licæq; divulgata intimatione sua, Illustrissimi Do-
mini Zamoy, cui deditissimum liberalissimis studiis,
tum re ipsa & factis laudatissimo demonstratum a-
nimum, ita expressit, ut nihil addi posse videatur:
Sed hic tamen talis & tantus vir, pro ea, quam cum
amabilissimis moribus suis conjunxit, modestia: a-
liis quoque, ac mihi sane uni ex multis, loci aliquid,
ad scribendum in hoc genere quippiam libenter &
placide relinquet: quem *Amplitudo ejus & Ma-*
gnifica Dominatio norvit, nequaquam contemni
ut inertem & prorsus indoctum.

Non enim si summi illi, quos diximus, *Viri,*
quemadmodum virtus & sapientia illorum mere-
tur, in summo precio atq; omnibus in ore sunt: ideo
humilibus quoq; in quibus nomen nos etiam profi-
temur

temur nostrum, non locum relinqui par est ali-
quem: Nisi forte tam abjecto quispiam & despera-
to reperiat ingenio: qui etiamsi nihil aliud stude-
at, nisi id quod agat: tamen navare se quippiam
posse diffidat: cum omnino voluntas acrius incita-
ta, viam sibi met saepenumero ad perficiendum quip-
piam aperiat. Nec quenquam hoc errore duci oportet,
ut aucupium assentationis propositum vobis,
dum hac scriberemus, fuisse existimare velit: cujus
suspicione, si propter honestatem, simili in causa li-
berantur alii: nihil impediat, quo minus securita-
tem mihi ad versus facilitatem linguæ aliorum &
accusatoriam licentiam polliceri debeam: ita qui-
dem ut criminis hominum, adhærescere in
me reprehensiones non queant.

Ego verò in tanta editorum de Instituta A-
cademia Zamosciana scriptorum copia, sedatè
compositeq; vires meas metiens: non modo, quam
istud commendanda ejusdem Academia Institu-
tum honestum sit perpendo: sed etiam quid in tam
celebri argumento, toties vulgato, jamq; trito fer-
mè & communi, à me afferri posset: Verborum sen-
tentiarumq; ornatu ita vestitum, ita perpolitum
& elaboratum, ut nova omnia, intacta & singu-
laria esse videantur, circumspicio. Hoc ita aquis
rerum aestimatoribus, lectoribusq; benignis probato;

jam $\frac{1}{2}$ in altum nave propulsa, ventis vela permit-
tam: atq; ad brevissimum navigationis cursum ab-
solvendum me comparabo.

Memoria proditum est, Socratem A. heniens-
sem, cum qui Oraculo Apollinis sapientissimus ju-
dicatus fuit: quodam tempore in angiporto incidisse
in Xenophontem atate adhuc puerum. Quem ille
cum aspexisset, atque e facie generosam ad virtutis
decus capeendum indolem elucere non difficulter
animadverteret: objecto scipione, transire vetuit.
Solebat autem Socrates, ex eo, quod ille sibi dede-
rat, qui cum disputabat, aliquid conficere, quod ille
ex eo, quod jam concessisset, necessario approbare
deberet. Quæsit ergo ex Xenophonte, ecquid sci-
ret, vinum ubi quam optimum & sincerissimum,
tum panes uli candidi, tandem carnes atq; obsonia
ubi prostarent. Ad ea & univèrsa & singula, cum
ille respondisset, scire se: Tum amplius Socrates,
ecquid nosset, homines ubi probati & integri, o-
mnique condecorati honestamento virtutis educa-
rentur: quos Greci Calocagathos appellare con-
sueverunt: Hic cum hexisset Xenophon: Quintus
ergo, inquit Socrates, quoniam id mihi solum non
respondes, quod ego solum audire volueram, seque-
ris me, ut cognoscas & videas. Ex eo tempore se-
nem illum sapientem secutus, nunquam Xenophon
à lateo

à latere ejus discessit. Hæc profecto laudatissima, sapientissimi hominis vox atq; oratio, omnium eruditæ seculorum posteritatem, in id perpetuo quibusvis temporibus opera uti daretur, ad instruendum celebri doctrina, & preparandos aliquos qui divinarum humanarumq; Gubernationi rerum cum salutari propagatione pietatis & virtutis, atq; adeo omnium bonarum artium ac disciplinarum præficerentur.

Quod si in vestigando generoso vino, tum in exquirendis panibus candidis, & comparandis iis, quæ gula apta sunt tantoperè occupantur homines: maximam partem solliciti de vitæ sumptibus cum elegantia & copia: quanto ardentius ad multo majora & graviora contendendū Socrates censuit hominibus: ad excolendam potiore partem hominis, mentem videlicet, particulam, ut Horatius ait, divina aura, qua sapimus, qua meramini-
mus, qua intelligimus, qua judicamus. Hic autem tam speciosus animi cultus in voluptatis regno, ubi omnia luxuria diffuunt, consistere nullo modo potest: quando ista, in lustrum cordis, ubi incubet, pestilens admittitur opinio, istud tam divinum animal, quem hominem dicimus, ad passum, & ad procreandi voluptatē natum esse. Qui quidē usurpatione in mentis & intelligentiæ, divino, sancti-
ssimi

ssimi conditoris sui munere, ad ea consequenda af-
fert: quibus homines inter sese alii aliis prodesse, &
communes utilitates in medium conferre, tum ar-
tibus opera & facultatibus atq; societatis amabi-
lissimo nexu & vinculo esse jugati queant. Quem-
admodum autem valetudini conservanda, & cu-
ra corporis merito & recte opera datur: ita multo
diligentius in id incumbendum, ne animus agrestis
& rudis relinquatur. Et si accusandi qui sanitatem
ipsi suam in discrimen coniciunt: multo vehemen-
tius improbandi qui partem eam, quam diuinitus
habemus, Angelis & Deo similem, incultam, bar-
baria quasi vastitate & impressione pessundari fi-
nunt. Quod si vere hominis excellentiam, & hujus
præ cæteris animantibus natura dignitatem consi-
dera verimus (velle quidem certe debemus) reperi-
emus, deberi hoc ipsi sive Deo, sive natura, à qui-
bus in lucem producti sumus: ad decus & honesta-
tem uti confirmemur. Hoc eò etiam facilius factum
est, quod omnium virtutum initia quedam, sive
scintillulas & elementa ac semina quæpiam, vel
etiam rudimenta nature appellare malit, nobis in-
sita sint: ut hoc quoq; non in postremis duci debeat
quamobrem ad conspectum literarum sobolem pa-
rentes suam producere, & ad scholas ludorum de-
ducere debeant literariorum, cum illud ut faciant,
tacito

tacito natura sensu jubeantur, sitq; hoc solum ani-
mal disciplinabile, atq; ejusmodi plane, quod ad
ea, quæ recta, quæ justa, quæ moderata, quæ ma-
gnifica sunt occulto impulsu trabatur. Est enim na-
tura sic generata vis hominis, ut ad omnem virtu-
tem percipiendam facta videatur; cujus rei docu-
menta in pueris proponi, luculenter et eleganter Ci-
cero demonstravit. Qui quidem semper aliquid mo-
hantur: Secundum Aristotelem, qui juventutem
nunquam profitetur posse quiescere: Et à perqui-
rendo semper aliquid ne virberibus quidem abduci
possunt: Et pulsari requirunt: Et aliquid se scire gau-
dent: Et alius narrare gestiunt: Et eorum quos vi-
dent, volunt non ignorare nomina: quibusq; rebus
cum equalibus decertant, si vincunt, efferunt se
letitia: Victi debilitantur: ut facile appareat, vir-
tutis simulacris, quarum in se semina habent, sine
doctrina moveri. Hæc igitur omnia, quanto, cum
procedunt anni et ætas auctior fit, illustriora Et ex-
pressiora effici oportere putandum: cum idem la-
bor sit bona faciendi Et mala perpetrandi: nisi quod
quæ bona sunt, aliquam temporis molestiam requi-
runt Et sollicitudinem.

Quod si natura sine doctrina tanta vis est, ut
agendi aliquid, Et diligendi aliquos, Et liberalita-
tis ac referendæ gratiæ principia in nobis continea-

mus quid obsecro futurum censemus, si commoda doctrinae accessione atque benefica ope, ea quae natura bona sunt, arte meliora reddi queunt. Haec est verissima summi boni attentissimaque consideratio: hic cursus absoluta sapientiae, cuius primus gradus est, nosse se: postremus verò nosse Deum. Quo quidem, in illustrissimo omnium loco posito, sine constituto: in humana vita ad commendabilem modum degenda, constituta sunt omnia: ita ut nulla sese in hanc dedecorosa species, siue insinuare, siue incitare possint, ad maculam et labem probri, honestis hominum actionibus aspergendam: Hunc autem quasi fontem quendam omnis rectitudinis et integritatis, unde quasi de alveo quodam exuberante, promanare oportet, florentis, omnique felicitatis laude cumulata vita illustrissimas species, ubi reperiemus: aut quomodo ista, in hominis liberaliter educati, corde, pietatis et virtutis adolescens arbor fructus feret! nisi mentis, quasi fundi, instrumentum, cognitio et disciplina praecesserit? Ut enim sine cultura ager, ita sine doctrina animus fertilis esse non potest. A scholis ergo inquis ista petenda sunt: metuebam ne a lenonibus diceretis.

Quis enim unquam ad bonitatis et sapientiae laudem aspirare ausus fuit, nisi sese Academicus et scholis formandus et erudiendum commisisset? Aut quae nam obsecro legitimi spes esse profectus in studio

sapientia possit: cum ab his salutaris propagationis
quasi officinis quibusdam discesseris? Iam vero, qui
Inclyto splendore suo & Illustrissimo statu dignam
consecuti fortunam, ita se comparant, ut ad extru-
enda istiusmodi sempiternae laudis & gloria domi-
cilia: tum ad conducendam magnificentissimis sti-
pendiorum sumptibus, Doctorum Magistrorumq;
operas: ad Celeberrimarum cultum professionum,
& multiplicis doctrinae exercitationem, cum semet
offerre, tum sua omnia conferre alacriter institu-
ant: eos mediis fidius sine omni dubitatione divi-
nitus & excitari & confirmari recte perhibebimus.
At hoc idem Illustrissimus Dominus, & in pau-
cis post hominum memoriae Memorandus Heros, D.
Ioannes, ex Inclyto, & antiquissima virtutis laude
celeberrimo Zamoysciorum stemmate, sese nomenq;
suum immortalitati commendans, prestitit. Cujus qui-
dem Illustrissima Celsitudo ad maxima & summa
quaq; gerenda nata, in tantis vel asperitatibus rerum
vel temporum angustiis, in quas aetas illius laboribus &
curis confecta incidit: nihil sibi obstare passa fuit,
quin in immenso maximarum concursu occupationum,
quibus Eccelsitas ipsius, modo non omnibus pene momen-
tis obruitur, cogitatione sua, & digna Principe viro
mentem, ad hanc nunquam satis laudatam, rei uni-
us omnium in terris & ista hominum societate

maxime susceptionem convertere, cum omnium
honorum admiratione solida & vera dignata fuit.
Declaratur autem hoc speciosissimo facto, quod in
tam excelso & illustri loco positum, ejusmodi est,
ut neq; obscurari, neq; silentio prateriri queat: cum
in totius Sarmatiae, & aliarum insuper nationum
oculos & aures incurrat: Illustrissimam Celsitudi-
nem ejus, intelligere, vim & dignitatem optima-
rum artium ac laudatissimarum disciplinarum:
Quibus solis & unis Ecclesiae Christi & Rerum
publicarum, cum adjuncta tum ornamenta con-
ciliantur & conservantur. Equidem solem e mun-
do tollere videntur, qui liberalissima ista studia
negligere atq; contemnerent: aut profana & impia
abdicatione quadam, exterminare ausint: cum istis
sive sublatis, sive subrutis columnis, quae ceu tibi-
cines, inclinatam ruinosi orbis statum sustentant
& fulciant: extremum rerum omnium, & misera-
bilem interitum consecuturum, tam animo videa-
mus, quam ea quae oculis cernimus. Quod quidem
ita est in promptu, ut disputatione non egeat: ac
potius qui contradicat aut sentiat: is nihil sentire
ac dicere penitus videatur. Quo pauciores autem
in omnibus seculis reperti sunt; qui magnitudinem
potentiae suae, & opum affluentiam splendidissima-
rum, expositam esse communibus, cum patrie, tum

extero-

exterorū cōmodis vellent: ut aliis, non sibi solis sese
natos esse demonstrarent: neq; tam quid, quam diu
ipsi superstites essent: quam quid a discessu suo, ex
hoc impuro lachrymabiliq; fragilis vita hospitio, de
posteritate futurum esset, sollicitis animis perpen-
dendo considerarent: cō majoris & sanctioris rei
conscientiam, Illustrissimæ Celsitudini illius, nobi-
lissimum istud, recens instituta Academia, Gym-
nasium est pariturum. Nos quidem certe, qui lite-
ras & virtutem amamus, & salutariter propaga-
ri liberalia studia optamus: Illustrissimæ Celsitu-
dinis ejus, ad bene de Republica merendum, quo
nihil est in rebus humanis præstantius, nihil glori-
osius, affectum atq; animum, quem constantis sue
tuendæ causa, ad laudatissimum effectum perduxit,
unicè exosulamur atq; amplectimur. Quin etiam
Illustrissimæ Celsitudinē ejus, hoc potissimum no-
mine, uti debemus subjectissimè gratulamur: Cum
quasi salutiferi & prosperi Syderis cujuscpiam luci-
dissimum jubar, in Sarmatia exortum, ita affulse-
rit Musis: ut pulsis ignorantia barbariq; tenebris,
erudita doctrinæ splendorem in vectum esse: nequa-
quam tacita paucorum, sed perspicua cunctorum,
quorum aures ad tanti, tamq; commemorabilis fa-
cti famam patent, prædicatione celebretur.

Quemadmodum autem bellicæ laudis gloria,

Crebuis praclarissimo successu semper antea gestis,
cumulatissime Illustrissima Celsitudo ejus satisfacit
Inclytæ patriæ suæ: quoties tempestas periculiq;
terror forte intonuit, ubi scilicet animo forti atq;
intrepido, tum subitis & salutaribus consiliis opus
fuit: Ita in toga eandem illam, non modo tam ar-
dua rei cogitationem complexam esse: sed eandem
facto etiam, & opere ipso explicasse: ejusmodi est,
quod & hac ætas mirabitur: & posteritatis gratissi-
ma prædicatio, dum Sol iste celo lucebit, aut hujus
usuræ lucis, quicumq; superstites erunt, perfruen-
tur: ac hominum deniq; vita durabit, extollere
nunquam desinet.

Quodcum ita sit, quidnam sibi, per Deum
immortalem vult illa existimationis aliena viola-
trix cohors: Quæ Illustrissimæ Celsitudini illius
Clarissima fama, maculam & labem aspergere,
veteratoria malitia obtreccionum non veretur:
ingeniose quidem, sed falso tamen comminiscendo
ea, quæ in invidiam & crimen conicere possint,
Principem Virum: in quem totius Sarmatiæ oculi
coniciuntur: cujus solius & unius opera, in bel-
lo, ut ait Terentius, in ocio, in negotio suo quisq;
tempore usus est sine superbia. Cognovimus enim
esse, qui adversus Illustrissimum splendorem illius
nescio cujus culpæ crimen, è transitu Scytharum,
qui

qui ad Tyrannum Turcicum modo praterito anno penetrarunt, exculperé ausint: quasi ipsius Celsitudine conuente factum sit, aut per eam steterit, quo minus incitata horum irruendi per Poenciam vis repressa fuerit atq; cohibita. Qua sane calumnia, totius antea vita integritas & innocentia facile liberare tantum virum poterat. Eo autem tempore summa vigilantissimi Viri in omnes occasiones, inq; omnibus qua exquireret, exploraret, scrutaretur deniq; attentio & circumspecta extitit animi provisio: nulla ut interposita mora, de iis qua audita, qua comperta haberet, ad prestantissimos quosq; splendore, autoritate & dignitate Senatores Regni retulerit: atq; absente Serenissimo Rege: ipse quasi in suprema specula collocatus, quicquid a sapientia & consilio suo requireretur: sollicita cura egerit, suaserit, monuerit, suscepit: Cum quidem ad auertendum infelices euentus, atq; ad impediendum conatus Scytharum, Imperatorio Legato autor esset: uti ad Moschum contendens, eum ad transitum hunc auertendum excitando hortaretur. Sed cum segnius & remissius omnia geri animadverteret: non dubitauit suis copiis, quas propriis scilicet impensis atq; stipendiis pridem aluerat: impetum hostium in se conuertere: modo non in diuersas partes distrahere easdem opus fuisset:

fuisse: atq; vel corpore suo transitum hunc si ve ad-
ventum hostium intercludere: quemadmodum a-
nimosa virtus facere consuevit: si casu suo, aut
confirmare patrie salutem, aut periculum morari
posset. Sed quam in partem ea qua prudenter, sa-
ne in tam subito periculo fallentibus fidem Barba-
ris, qui nihil hostile à sese expectari juberent, acta
sint: atq; partim in confidentia spreta, partim ve-
ro in nimia securitate nescio cui formidini attribu-
ta: partim deniq; dicendum est enim, in inviden-
tia extrema, ne non quicquam prospere succederet,
ne creditum quidem fuerit, quantum discrimen
regno instaret: hæc igitur si hoc loco exequi velle-
mus, nescio quomodo instituta exitum orationis in-
veniremus. Sed eadem illis expedienda relinque-
mus, qui plus auctoritatis & virium ad victoriam
consecuti sunt. Illud autem & miserum est, & gra-
ve atq; acerbum, summos viros pro custodia uni-
versæ Christianæ Republicæ excubantes, conflictari
cogitum improbate prociacis maledicentiæ, &
tetra invidiæ. Sed quia, ne ille quidem Hydra &
Lernæ domitor Hercules, quin istis appeteretur
morsibus, effugere potuit: Erit hoc maximo ama-
tori virtutis & patriæ, non in ultimis laudum:
communem sibi, cum laudatissima antiquitatis ho-
minibus fortunam esse: Tantum abest, ut sese agri-
tudine

Indine Illustrissima Celsitudo ejus conficere & ma-
cerare velit: quando conscientia bona mentis ma-
ximam afferre & solet & debet & potest etiam
consolationem rerum incommodarum: cogitando
non esse ullum magnum malum prater culpam. A
qua, hac quidem in parte longissimè abest Heros hic
noster: cujus si e ventus forte consiliu, alius fuerit,
quam speratum esset: quoniam quantum humano
consilio pro videri & effici potuit, prestitum foret:
moderate, quod e venit, ferendum sit: presertim
cum idem ille in Dei manu positus sit exitus. Quan-
tum autem obsecro in vita, vel vanitatis est, vel
iniquitatis, si magni etiam viri, nedum promi-
sca turba, erroris & imperitia Magistra:
non ponderatis prius rerum momentis, non supe-
riorum temporum Illustrissimis meritis animo re-
putatis, virulenta maledicentia, & invidentissi-
ma malignitatis atq; audacia tela, in tanto Heroe
eruentent: quo neq; presentiore unquam in bello
animo quisquam, nec fortiore ad dimicandum, nec
ad moriendum paratiore fando audiri & memora-
ri possit.

Quid verò futurum, aut quonam res obsecro
est evasura, si ingenis hominum criminorum sit
exposita vita innocentium: & hoc scilicet agitur,
ut pro summis in Rempub. & Patriam meritis, opti-

mo Maximoq; viro, quem in partem gubernationis Sacra Regia Majestas admittit, periculum fama subeundum, & innocentia ne calumniis oppugnetur sit pertimescendum. Nam quis non videt, minorem fore copiam eorum qui bene mereri de aliis studeant: cum eam sibi gratiam referri videant Inclyti homines; ut cum omnia ad salutem & conservationem communium commodorum attulerint: eorum fama, per summum nefas juguletur ab iis, qui in tantis rebus expediendis neq; consilio neq; autoritate, neq; felicitate, & successu polleant: quiq; in trepidis rebus, si ab ipsis, concursu facto, consilium peteretur, aut imperium expectaretur, ne hiscere quidem possent. Nos quidem, quamvis non ignoratum nobis est, quam exiguis presidiiis, ad dimicandum pro tanto viro muniti simus: atq; editum ab Illustrissima Celsitudine ejus scriptum, ita Heroem hunc nostrum defendat, mirandum ut sit, si vel cogitare quisquam, vel pronunciare sinistre ausit: multò minus, sublevatione nostra, hoc est, unius ex multis, ille egeat: tamen aliis, qui & splendidius & feliciter idem facere possunt, autores esse studuimus: ut & veritatis patrocinium ipsi quoq; suscipere: & fidem suam, omnium Meccanatorum literatorum benevolentissimo, & liberalium studiorum Patrono fidissimo, libenter & cupide presta-

re vellent: ut multis incommodis sive debilitata
virtus, sive iniustissimis obtreccionibus ja-
ctata atq; agitata celeberrima summi
viri existimatio, optimorum rectissi-
meq; sentientium aequitate, in
integrum restituta, re-
crectur.

